

DE

ICTERUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA.

QUAM.

CONSENSU ET AUCTORITATE MAGNIFICI
DOMINI

PRAESIDIS AC DIRECTORIS, SPECTABILIS AC PERILLUSTRIS
DOMINI DECANI, NEC NON CLARISSIMORUM DOMINORUM
PROFESSORUM PRO DOCTORATUS LAUREA RITE OBTINENDA,
IN ALMA AC CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM
UNIVERSITATE HUNGARICA

PUBLICAE DISQUISITIONI
SUBMITTIT

E. FRANKEL,

HUNGARUS PESTIENSIS.

Theses adnexae defendentur in Palatio Universitatis
majore die mensis Julii 1836.

PESTINI.

Typis JOSEPHI BEIMEL.

Seiner

innigst geliebten

Mutter

aus

unbegrenzter Dankbarkeit

und

kindlicher Liebe

gewidmet

vom Verfasser.

Etymologia et Definitio morbi.

Icterus, aurigo, morbus regius, morbus flavus, morbus arcuatus. German. Die Gelbsucht. Hung. Sárgaság Gall. Jaunisse. Ital. Itterizia.

Multa sunt, quae de origine denominationis tam graecae, quam latinae excogitata sunt. Sic denominarunt eum Icterus ab *Ικτιρ* viverra, mustelae sylvestris specie, cujus oculi auruginosi sunt, alii ab *Ικτερος* ave eiusdem coloris derivant, et, qua spectata iterum curari morbum, ipsam vero avim mori dixerunt. Nomina latina aequae tam ambigua sunt. Sic regium vocarunt, quibus dicere placuit, quod regali fere luxu ad curationem ejus opus sit. Alii, qui arcuatum denominarunt, iridem prae oculis habebant. Aurigo et m. flavus a colore ita dictus.

Tot tamque diversa morbi nomina abunde testantur, morbum antiquissimis iam medicis notum fuisse, quare etiam in omnibus scriptoribus graecis, romanis, et arabicis satis exactae deprehenduntur descriptiones, exactissimas tamen historias, de indole eius cognitiones, affinitates et differentias recentioribus primo in acceptis referendas habemus, licet et hi inter se dissentiant, quemnam locum in systemate nosologico occupare debeat, aut quaenam ei competat denominatio. Sunt qui morbum hunc symptoma alterius dicunt, et e numero morborum excludunt (Pinel, Grimaud). Alii inflammationibus, in specie vero hepatitis adiungunt

(Boerhave, Stoll, Darwin). Alii retentionibus (Frank, Vitet, Raimann); Ilii profluviis hepaticis (Alibert); Plurimi tamen duce Sauvagesio et F. Hoffmanno cachexiis adnumerant.

Opiniones has refutare nec mei est, nec parsimonia admittit, sitque licitum morbum retentionibus, ob causam proximam tardius dicendam, adnumerare, eumque ita definire: *Icterus est ille morbus, qui evacuatione bilis per ductus normales impedita inducitur, et absorptione eius subsequuta se manifestat per secretionem infra cutim, et complures organismi solidas fluidasque partes.*

Symptomatologia.

Symptomata, quibus icterus insignitur pro individualitate aegri, et pro diversitate Noogeniae diversa esse, neminem laetet. Rarus est casus, ubi sanum subito adoreretur morbus, talisque brevioris durationis, acutus et feбри iunctus esse solet (Icterus acutus febrilis), frequentissime conspiciuntur symptomata diagnosim stabilientia, quae vel evolutioni morbi praeire solent, vel quibus morbus jam evolutus se oculis sistit. Ad priora, quae in omni fere casu praesto sunt, et diebus aliquot, non raro septimanis praecedunt, haec referuntur: alienatio functionum digestionis et assimilationis, hinc appetitus imminutus, anorexia, sensus ponderis in regione epigastrica, imprimis post pastum, nausea, ructus amari, alvi constipatio, flatulentiae intestinorum, non raro exacerbationes febriles. Symptomatibus his prodromis se associant: tensio dolorifica in regione hypochondriaca dextra et epigastrica, quae saepe distingvitur tumida duraque, delassatio artuum, defatigatio solito major labores etiam consuetos insequens, gravitas capitis, morositas animi, langvor functionum psychicarum, somnus inquietus, urina turbida etc. Prodromis his ad maiorem intensitatem evectis, citius vel tardius comparent signa secundi ordinis, quippe symptomata Ictericum caracte-

risantia, quae singillatim nunc dilucidare conatus mei erit, de quibus tamen universim monendum, aliqua enarrandorum abesse etiam posse praesente nihilominus morbo.

Color cutis flavus. Hic diversae intensitatis atque extensionis esse solet, iam dilute, iam saturate flavus instar croci, subinde subviridescens (I. viridis); subinde ex profundo virore nigrescens fere (I. niger, melas icterus, atrabiliaris) frequentissime tamen observatur color dilute flavus, qui praecipue sub initio morbi praedominans esse solet, et successive magis saturatus fit, evenit etiam non raro, ut spatio unius noctis maximam intensitatem adipiscatur. Prima decolorationis ictericae vestigia, etiam in Aethiopibus, in albuginea ad internos oculorum canthos, infra oculos ad alas nasi, tempora, saepius ad aures et labia oris comparere solent, color dein pedetentim totam ambit cutim. Decoloratio haec raro aequabiliter distributa est, manifestissima est in facie, collo, pectore, abdomine et brachiis; in morbo ad altum gradum eucto etiam ungues et radices pilorum flavo tinguntur colore. Generatim color flavus non saltem in cuti externa, sed etiam in interna cernitur, lingua tamen in plerisque ictericis, nisi saburra praesente, pulcherrime rubere, subinde tamen eam, maxime in senibus ad radicem quasi atramento oblitata invenitur *a)* Non raro in uno latere corporis quasi praedominans conspicitur color (I. dimidiatus), hicce casus tunc observari solet, cum icterus hemiplegiae se associat, et sub tali rerum statu plerumque pars paralytica profunde tincta conspiciebatur. *b)* Subinde color ad partem unam restrictus est (I. partialis) partialem hanc decolorationem frequenter in abdomine, rarius in facie vel alibi videre licet. Rarissimi autem sunt casus, ubi plures decolorationes simul praesentes essent (I. variegatus)

a) P. Frank.

b) Ephem. N. C. cent. III. IV. obs. 64. Ettmüller coll. opp. practic. T. II. p. 841.

Colorem cutis produci a bile, liquidum flavum in rete mucosum collectum odorem et saporem amarum bilis habens, et analysi chemicæ subjectum partes constituentes bilis largiens confirmat.

Secretio morbosa bilis non est restricta ad solam cutim, contingit similis secretio etiam in aliis partibus corporis. Sic observantur se- et excreta flava, sic saliva et mucus colorem flavum saporemque amarum praeseferebant, ita sudorem ictericorum flavum quandoque esse, praecipue ad axillas, ut lintheamina tingat, a multis observatum fuit. Sectiones anatomico-pathologicae cadaverum ex ictero demortuorum docent membranas mucosas et aerasas, pleuram, peritonaeum, musculos, tendines, imo ipsa ossa in substantia sua interna flave tincta fuisse, ita ut in morbo maxime evoluto partes corporis omnes bile impraegnatae sint.

Licet adsint casus, ubi praeter cutim nullae aliae partes corporis exhibeant signa secretionis abnormis biliosae, nunquam tamen desideratur in organis uropoëticis, cum urina semper mutata deprehensa fuerit. Est ut plurimum coloris iam profunde crocei, iam fusco brunei, estque saepe limpida, saepe sedimento vario instructa, continetque in se principium tingens bilis, nam charta alba, vel lintheum ei immersum colore tinguntur flavo, et addito acido muriatico dat praecipitatum viride.

Cum ita pigmentum plerisque se- et excretis inest, excrementis alvinis penitus deest, eadem enim ratione, qua bilis influxus in intestinum duodenum impeditur, alibique deponitur, his detrahitur atque deficit. Maximo enim ictericorum numero foeces griseas, cinereas, argillaceas, colore foeces caninas immitantes, parcas praeterea, prae ariditate tarde per tubum intestinale descendere observatio docet, quae tamen illico flavescere et emolliri pristinumque statum recuperare solent, quamprimum bili ad duodenum viae restituantur; exceptiones tamen et hic contingunt.

Molestissimum symptoma et quod rarissime abesse consuevit, est pruritus sub cuti, quem *Pruritus ictericum* vocare placuit, qui aliquando adeo increscit,

praesertim noctu, ut aeger vel levissimum etiam indusium perferre non valeat, et eum continuo et vehementi scalptu ad desperandum cogat. Pruritus hic nonnunquam totam superficiem cutis occupat, nonnunquam ad partem minorem restringitur. Perspiratio cutis in genere sub decursu morbi est impedita, et cutis sicca tangitur; si vero sub decursu eius sudores profusi comparent, plerumque symptoma constituunt colliquationis. Pruritus sine dubio causam agnoscit sanguinem, qui per bilis praevalentiam proprietatem quasi irritantem adipiscitur.

Denique et aliae functiones pro varia icteri specie et complicatione diverso modo laeduntur. Vix non ubivis fere systema nervosum et musculosum plus minus adfectum est; torpent mentis operationes, et non raro in melancholiam incidunt. Magni momenti symptoma ictero se associare solens est adfectio cerebri, quae inopinate saepe supervenit, deliriis orditur, et mox sopore lethali finitur ^{a)}). Causam aequae ab irritatione sanguinis per praedominantem bilem agnoscit. Symptoma hoc in nulla ratione est cum intensitate icteri, et tunc praesertim oritur, si animi affectus vel icterum provocarunt, vel huic se tardius accinxerint. — Ita quoque et respiratio laesa, dispnoea, symptomata febris, aut aliarum adfectionum organismi conspiciuntur, quae omnia tamen a constitutione individuali aegri, a diversa duratione, complicatione, graduque morbi, imprimis autem a momentis pathogeneticis dependentia, modificantur.

A e t i o l o g i a .

In pathogeniam morbi hujus inquirens duplex offendet momentum ut in quolibet morbo disponens quippe et excitans. Vix non omnes homines morbo huic contrahendo pares sunt; dispositionem tamen hanc ad

^{a)} Naumann.

huncce morbum in variis individuis variam esse testatur, cum morbus iisdem saepe adiunctis externis quaedam individua corripiat citius, dum alia diu, imo penitus intacta relinquit; momenta tamen disponentia ad haec fere redeunt: Individua in quibus activitas systematis cholopoëtici praedominatur, seu temperamentum cholericum morbo huic favet. Isto respectu icterus a matre ad prolem transire potest, uti P. Frank casus observabat, et respiciendo temperamentum feminae hystericae, viri hypochondriaci, et zonarum calidarum incolae proniores sunt in hunc morbum; maiore etiam dispositione gaudent ii, qui variis hepatitis aut aliorum organorum vicinorum vitiis vexantur, quorum ope circulatio sanguinis in hepate et systemate venae portarum quoquomodo turbatur. Porro in individuis icterum saepius iam exantlatis, ingratis animi affectibus subiectis icterus citius comparet. Quod sexum attinet, femineus, quoad aetatem, aetas tenera et virilis maiori gaudet receptivitate. Huc pertinet denique vitae conditio, occupatio aut vivendi modus, qui temperamento huic favet, aut ex indole sua in provocandis causis occasionalibus singulari pollet potestate.

Causae occasionales, quarum actionem icterus insequi solet, vel in systema cholopoëticum immediate influxum suum exerunt nocivum, vel in remotioribus organismi functionibus resident; ob nexum tamen harum functionum, aut consensum earum, stimulo suo provocant morbum. Tot autem tantaeque sunt, ut hic loci speciatim enumerare, longum foret, momentosissimam tamen hic commemorare quantum licuit non neglexi.

Symptomstice se libenter associat icterus omni irritato statui systematis cholopoëtici; quare febrium gastricarum biliosarum, hepatitis vel gastritidis, febris flavae americanae, febrium intermittentium imprimis quartanarum comes fidus.

Sympathice oritur icterus post vulnera capitis, per commotionem cerebri, per morsus serpentum venenatorum, viperarum, non raro et scorpionum; non

saltem per horum animalium morsum, sed et per morsum cati felis; canis, sciuri, inductus est icterus.

Metastatice gignunt icterum evacuationes habituales suppressae, uti sunt: fluxus haemorrhoidalis, catamenialis, diarrhoeae, fluor albus inveteratus, etc. In individuis cum irritato systemate cholopoëtico etiam per solam suppressam transpirationem cutaneam, per solum nempe refrigerium, icterum ortum fuisse, docent exempla plura: quapropter endemicus sub tropicis, et apud nos aestate fervida. Subinde constitutio epidemica morbo generando favebat, testibus Pringle, Monro etc. Gravia animi pathemata, affectus animi tam excitantes, quam deprimentes, systemati cholopoëtico stimulum validum imprimentes, idem praestitisse visum sunt. Dein per mentis aequae ac corporis labores nimios, quales sunt: meditationes profundae, studia intensa, vigiliae protractae e. s. p. per pluries icteros progeneratos fuisse adnotatur.

Ad causas, quae icterum provocare valent, numerantur et haec: hypochondrio dextro quocunque modo illatae violentiae mechanicae, dein omnia ea, quae difficilem aut plane impeditam bilis in duodenum effluxum causant, ad quae referri merentur: spissitudo bilis, calculi in hepate aut cystide felloa haerentes, vermes in hepate aut in vasis bilem eventibus latitantes. Huc et tumores, abscessus, steatomata, scirrhi aut ipsius hepatis, aut propingvorum organorum pancreatis scilicet vel glandularum mesaraicarum, uterus gravidus, opletio viscerum per cibos indigestos aut induratos, aut alias sordes gastricas accumulatas, quod apud neonatos imprimis per meconium accumulatum contingit, suam symbolam conferunt. Eundem adhuc morbum post incongruum aequae ac indicatissimum usum diversorum pharmacorum, a febris intermittente per corticem chinae perperam exhibitum, natum fuisse legitur. Abusum purgantium drasticorum, emeticorum excepit icterus aliquoties. Post abusum hydrargyri, post curam Louvrieanam icterum ortum fuisse Schoenlein observavit.

Potentiarum commemoratarum actio minime sem-

per una eademque, sed varia est. Aliquæ hypercinesiam, seu irritabilitatem et sensibilitatem hepatis morbose exaltant, polycholiamque generant, quo fit ut in hoc viscere bilis secretio tam excessiva reddatur, ut omnis in chylicationem et nutritionem impendi non possit, per ductum choledochum in intestinum duodenum haud evacuabilis pars maxima absorbetur, et partim in cuti partim alibi, ut supra iam memoratum est deponatur. Icterus per talem abundantiam bilis generatus non raro nectitur statui inflammatorio hepatis (I. inflammatorius), et hoc est, quod cel. Broussais et Marcus permovit asserere, icterum omnem esse hepatitidem; sententia horum virorum impugnatur eo, quod nulla saepe sit inflammatio, neque lateat, et morbus methodo anti-phlogisticae resistat omnimode.

Alias neque hypercinesia exaltata, neque phlogosi generata bilis secretio contingit normalis; ast in canalem alimentarem infundi nequit, via enim normalis per spasmum praecluditur, qualem I. spasmodicum praesertim in individuis nervoso temperamento praeditis cernere licet, et quem animi affectus, refrigerium aut evacuationes habituales suppressae, venena, imprimis vero morsus serpentum generare valent. — Alias per potentias nocentes nec polycholia generatur, nec per inflammationem aut spasmum icterus comparet; sed evacuatio bilis impeditur per diversissima vitia organica aut in hepate, aut in aliis organis haerentia, aut per compressionem ductus choledochi diversimode contingentem; vel demum potentiae ita agunt, ut secretio bilis aut penitus supprimatur, aut saltem immi-nuatur, et vicaria eiusdem secretio contingat.

Quocunque autem modo egerint causae, eo tamen conveniunt, quod actione illarum evacuatio bilis per ductus normales impediatur, ne absorptio eius et secretio provocatur in aliis organis, quod pro *causa proxima* icteri statuendum est. — De causa proxima tamen iterum opiniones diversorum auctorum diversitatem magnam offerunt: Credebat antiquitus et cum hoc Plinius auriginem ex subtilitate bilis dependere. Paracelsus eam miscelae cuidam salinae adscribit. Alii

eandem a vitiosa sanguinis miscela, alii ab aliorum humorum discrasia, et in specie a bilis visciditate, densitate, acrimonia, icterum vero nigrum a gravi et maligna fluidorum corruptione provenire credebant. Ex recentioribus Boerhave et cum illo Cullen asserit: icterum produci per bilem iusto maiori copia secretam, et in canalem alimentarem effusam, per vasa autem lactea absorptam et in circulum sanguinis deductam. Artificiose asserit Selle, quod bilis per poros inorganicos vesiculae felleae transsudet, et tunc per vasa lymphatica absorbeatur. Secundum v. Hoven, Sprengel Henke secretio vicaria bilis in vasis cutaneis locum habet. Wedekind asserit icterum nullatenus a bile in sanguinem devecta, sed a corrupta pingvedine, per quod serum coloratur, cum pingvedo priusquam corrumpitur colorem flavum adipiscatur. Opiniones hac crisi subiicere, aut alias adhuc enumerare iustos Dissertationis limites excederet.

Diagnosis et Divisio Icteri.

Expositis quantum licuit morbi symptomatibus essentialibus, enumeratis dein momentis pathogeneticis et de causa proxima sententiis, restat de icteri diagnosi quaeprimam adiungere; icterus enim, ut notum est, diversissimum characterem habet, hincque cum diversis morbis confundi potest. Morbi tales sunt praecipue morbi tam acuti, quam chronici, systema cholopocticum opprimentes, uti: policholia, febris biliosa, hepatitis morbi organici hepatis, e. p. a., qui morbi tamen adeo eminentia consuetim et propria symptomata praeseferunt, ut non facile cum ictero confundantur. Ex aliis morbis notari meretur chlorosis, urinarum tamen et foecum alvinarum color atque conditio dubium levat. — Similari quoque potest icterus, sic cutim radice curcumae longae, tinctura rhei tingunt, coniunctivam flave tingere tentabant fumo, foeces quoque immitatae sunt per usum quotidianum dosis parvae acidimuriatici. Neque tamen haec omnia medicum prudentem

et circumspcctum, qui non unice ex his diagnosim format, decipere unquam valebunt.

Divisiones icteri ex variis fundamentis petitae, variae sunt. Sic distingvitur icterus in *simplicem* ac *complicatum* pro praesentia vel absentia alterius cuiusdam morbi; in *idiopathicum*, si sedes et causa morbi in ipso systemate cholopoëtico; *sympathicum* vero vel *symptomaticum*, si in alio quodam organo sita est. Relate ad numerum aegrorum hoc morbo correptorum dividitur in icterum *sporadicum*, *endemicum* et *epidemicum*, primus zonae temperatae, posteriores calidae familiares. Ratione durationis in *acutum*, *chronicum*. Quoad typum in *continuum* et *intermittentem*. Relate ad praesentiam vel absentiam febris *febrilis* vel *afebrilis*. Distingvitur dein icterus in *haereditarium* dum a matre ad prolem transit, in *I. neonatorum*, et *gravidarum*. Ab aliis a) etiam in *atonicum*, *plethoricum*, *inflammatorium*, *nervosum*, *bilosum*, *cachecticum*. Momentosissima tamen tam quoad prognosim, quam quoad therapiam est divisio secundum Haase in *I. spasticum*, *hepaticum*, et *calculosum*, quibus et *I. neonatorum ac gravidarum* adiungere licet, quamvis affirmare debeamus et omnium prius commemoratorum divisiones utilitatem suam et dignitatem in praxi non exiguam habere.

Icterus spasticus consistit in spastica hepatis, cystidis felleae et ductuum biliosorum constrictione, ob quam causam via normalis bili recluditur. Est frequenter sequela pure dynamicarum potentiarum nocivarum, uti: animi affectuum, refrigerii tam per aerem frigidum, quam per potus frigidos et glaciem conditam; saepe et comitem paroxysmorum hysteri-corum constituit. Dignoscitur haec species, quod prodromis nullis praegressis celerrime oriatur, et decursus ejus post aliquot dies absolvatur.

Icterus hepaticus est sequela potissimum vitiorum organicorum tam hepatis, quam vicinorum organorum, per quae circulus sanguinis in hepate perturbatur, aut impedimentum effluxui bilis in duodenum

a) Naumann.

ponitur. *Diagnosis* nullis premitur difficultatibus, prodromis praeexistentibus lente, eadem scilicet ratione, qua commemorata vitia organica incrementum capiunt, decurrit. Propriaque est haec species individuis temperamento cholericis praeditis.

Icterus calculosus originem trahit ab obstructo ductu hepatico, et choledochis per concreta bilis (calculi biliosi, cholelithi). Concreta haec numero et consistentiae diversae, iam magnitudinis sunt seminum lini, iam eam adipiscuntur magnitudinem, ut expletam iam cystidem in maius volumen extendant. Coloris sunt albi, consuetissimus tamen est fuscus, viridis, vel flavo viridis color. Figura earundem iam oblonga, iam sphaerica aut angulosa, suntque inflammabiles, in spiritu terebinthinae, aethere vitrioli, acido nitrico aut sulfurico solubiles; oriunturque ex bile inspissata crystallisata, imprimis a parte bilis adipocerae (choleostearine), in medio conspicitur nucleus, cui sensim strata lamellosa apponuntur. Non raro haerent calculi in s. cholopoëtico, quin molestias causarent; sed dum per ductum choledochum exprimuntur, aeger experitur dolores in regione hypochondriaca dextra remittentes, saepe intermittentes, non raro intollerabiles, aensum tensionis, ardoris, dislacerationis excitantes, versus regionem scapularem, epigastricam, lumbalem excurrentes. His se associat inquietudo, vomitus, nonnunquam animi deliquium, et inter haec symptomata comparet subito icterus. Duratio horum symptomatum est saltem aliquot dierum, et una cum ictero disparent; post tempus tamen brevius aut longius scena haec revertitur, et hic recursus periodicus diagnosi illustrat; pro infallibili tamen signo pathognomonico non habendus, nam *I. spasticus* aequè subinde est periodicus, sic febris intermittens sub paroxysmo saepe symptomata icteri comparentia, sub apirexia disparentia offert. Certitudinem saltem per secessum sub insultu vehementi calculorum acquirimus. Causae calculos producere valentes exacte cognitae necdum sunt, experientia tamen edocemur, temperamentum cholericum, vitam otiosam et similia genesi cholelithorum favere.

Icterus neonatorum evolvitur raro primis vitae diebus, sed frequentissime secunda vel tertia septimana post nativitatem: non raro tamen foetus ictero prognatus est. Sequentibus notatur signis: cutis et albuginea flavent, urina profunde colorata crocea fere, lintheamina tingens; abdomen tangitur tensus, in nonnullis casibus hypochondrium dextrum et hepar tumidum dolorificum; laborant feбри intensa, alvo constipa, siti molesta torquentur; ubera, quae avide arripiunt, ob inquietudinem celerrime dimittunt, et quod sugebant vomitu mox reiciunt; vexantur porro doloribus colicis, ideo corpus contorquent, genua versus abdomen elevant, saepe etiam convelluntur. Morbus hic non raro neonatum spatio dierum 5 — 7 enecat, nonnunquam vero tam mitis est, ut post aliquot dies iterum convalescat. — Probe distingvendus est color flavus neonatorum ictericorum a colore flavo, qui in plerisque neonatis comperit, et a sanguine in vasculis cutaneis per atmosphaeram, qua inconsueto stimulo, singulari ratione mutato derivatur. — Inducitur icterus talis in praedispositis per refrigerium, per lac matris aut nutricis qualitate peccans, per animi pathemata eiusdem, sed frequentissime per meconium ductus bilem evehentes obstruens, et secundum Wedekind per astheniam.

Icterus Gravidarum propriis symptomatibus non stipatur. Causa agnoscitur vel in saburra accumulata ductum choledochum opprimente, vel in inflammatione hepatis; frequentior tamen causa est uterus, qui ascendens hepar irritat, quapropter etiam I. gravidarum post partum, aut iam ultimo graviditatis mense disparet.

Sectio Cadaverum.

Cum sedes morbi principalis in s. cholopoëtico resideat, phaenomena etiam quamplurima morbosa in hocce systemate reperiuntur sub autopsia cadaverum. — Ita hepar grande, coloris iam flavicantis, iam viridis vel coerulei, sero vel sanguine infiltratum, sub sectione crepitans et plus minus induratum, non raro vero contractum, coriaceum; nonnunquam suppuratio eiusdem visceris, vomicae, tubercula, scirrhi, calculi reperi-

bantur. — Cystis fellea iam vacua, iam iterum bile spissa aut calculis vel hydatidibus repleta. — Ductus biliosi maxima ex parte oblitterati, vel lumen eorum per compressionem vicinorum organorum, vel glandulas lymphaticas scirrhosas coarctatum. — Praetervitia haec, et alia visa sunt; sic ventriculi, intestinorum, lienis, pancreatis, subinde pulmonum status abnormes inventi sunt. In casibus non raris licet plurimas organiami partes flavo colore tinctas cernere, quales muscoli, tendines, ligamenta, membranae aerosae et fibrosae. Non raro iterum in peritoneo pleura liquidum flavicans; imo ipsa ossa, substantia cerebri, et humores oculi flavicare reperta sunt. Nec desunt tamen exempla ictero demortuorum, ubi praeter colorem flavum cutis nihil morboosi detectum est.

Exitus et Prognosis Icteri.

Transitus icteri in sanitatem iam therapiae congruae, iam autocratiae naturae in acceptis referendus venit. Saepe evacuationibus criticis, sudore copioso universali, urina turbida sedimento largo instructa, vomitu vel diarrhoea biliosa, quod signum est bili in duodenum iterum viam patere; aut interdum haemorrhagiis vel aliis profluviiis; hae tamen profusae resolutionem annunciant, aut exanthematibus variis, imo et ptyalismo comparentibus symptomata icterica disparuisse, morbum sensim sensimque resolutum fuisse castae docent observationes. Desideratissimus hic exitus, si spatio 7—13 dierum non subsequatur, icterus potissimum chronice decurrit, symptomatibus omnibus incrementibus, anomaliae digestionis et chylicationis oriuntur, sanguificatio ipsa ac nutritio imperfecta redditur, cachexiae variae, hydrops, scorbutus, febris hectica, aut nervosa, vel nervoso-septica, aut alii exitus funesti scenae huic finem imponunt.

Ad pronuntiandam vero speciatim prognosim plura respicienda sunt momenta. Sic pro ratione causarum e quibus nascitur, pro diversitate speciei, pro gradu

intensitatis, quem attingit, et duratione, pro symptomatum denique, subiectorum item, quae corripit, ac complicationum, quibus incedit, ratione, et pro vario characterem dynamico variat. — Laetissimum est praesagium I. spastici, facillime cedit remediis congruis, transitoriis potissimum oritur causis, uti: erroribus in diaeta, affectibus animi. Magis iam limitata est prognos I. calculosi; recessis enim calculis disparet, nec amplius revertens; ast metus adest justus generatis denuo calculis scenam pristinam caput extollere. Morbus simplex aut iuniora, et habitus boni invadens individua cedit citius therapiae, ac complicatus cum aliis morbis, aut senes affligens. Quem vitia organica vel hepatis vel vicinorum organorum inducunt, icterus arti rebellis est, et si vitia haec etiam therapiae maxime congruae et rationali resistant, spes curae felicitis omnis evanescit. — I. negatorum remediis mitioribus cedens periculis non stipatur. — I. gravidarum disparet potissimum absoluto partu, ab aliis vero quam ab utero extenso causis originem ducens, pro varietate harum assumit praesagium. — Mitior morbi gradus laetiozem, ut per se patet, admittit prognosim, altior vero gradus arctioribus circumscribitur limitibus; hinc icteri flavi, cum potissimum levisimus gradus, exitus optimus sperandus, in viridi aut I. melas prognos infausta saepissime. Iuxta Sprengel pertinacissimus est icterus, qui colorem frequenter mutat. Icterus febribus intermittentibus inveteratis, aut hydropi se associans frequenter est praecursor mortis a propingvantis. Ictericus delirantes aut in sopore constituti in summo versantur vitae discrimine, e. s. p. In genere, quo causae, quae egerunt mitiores, et quo simplicior decursus, eo magis faustum statuendum praesagium.

T h e r a p i a.

Nullum fere existit pharmacum, quod iam in usum contra icterum tractum non fuisset, quod abunde testatur pertinaciam morbi, et difficultatem illius sana-

tionis. Ineptum autem esset omnes methodos ab antiquis temporibus tractandi icterum consuetas, aut remedia laudata enarrare; plurimi tamen et indiscriminatim fere omnes Emeticorum, Purgantium et Diureticorum ut in aliis morbis, ita in hoc fecerunt usum (vel abusum); negandum tamen non est horum remediorum aliqua et hodie retinuisse valorem. Diversitas characteris dynamici icteri, diversitas causarum, quae provocant morbum, multiplexque decursus aliaeque circumstantiae clare demonstrant; non unam eandemque, sed diversissimam pro diversitate, qua variant haec momenta, adhibendam esse therapiam. Generatim tamen in curando morbo maxime congruam esse therapiam censeo, quae indicationibus his tribus satisfacit: I. Causas morbum generantes, aut adhuc agentes exquirere et remove; his vero iam agere cessantibus II. Characterem dynamico-organicum debellare, et III. Reconvalescentiam debite regere.

In curando igitur ictero momentosissimum est causas exquirere et contra has agere; quare, si sordes gastricae ad generandum eum contulerint, hae eliminandae veniunt pro turgescientiae signis iam emetico, iam purgantibus. In exhibendis tamen emeticis caute mercandum, si enim hepar in statum irritatum subinflammatorium coniectum fuerit, si indurationes aut plane suppuratio in illo lateat, recedendum est ab illis, ne malum exasperetur. — In chronico tamen ictero, si sensus ponderis in regione epigastrica, ructus, sapor oris amarus accusetur, lingua spurca flava deprehensa fuerit, etiam non obstante debilitate exhibendum esse emeticum asserit Conradi a) — In casibus longe plurimis indicatio adest pro purgantibus, quae pro diversitate individui, et gradu morbi varia esse debent. In infantibus teneris sustentatur saepe icterus per meconium copiosum spissum, tunc syrupus cichorei cum rheo, vel syr. mannatus omni bihorio cochleari coffeaceo exhibitus, vel clysmia in infuso flor. chamomillae cum oleo, ut alvus quotidie aliquoties reseretur votis Me-

a) Hufel. Journ. d. pract. Heilk. B. G. p. 182.

dici respondet. In adultorum ictero saepissime etiam mitiora purgantia, uti pulpa prunorum, cremor tartari magnesia, oleum lini aut amygdalarum dulc., vel his efficacius ol. ricini desideratum praestat effectum. Saepe tamen plus emolumenti adferunt sales medii uti: arcanum duplicatum, sal mirabilis Glauberi, sal amarus, quos in decocto radicis graminis vel taraxaci exhibemus. Statu tubi intestinalis turpidiore praesente efficaciora: senna, rheum, jalappa, imprimis vero aloë, cui virtutem specificam in sanando ictero tribuit Wedekind (ter per diem granaquinque extracti illius aquosi forma pilulari, ascendendo mensim donec evacuatio bilis secuta fuerit, qua secuta iterum recedendum; irritationis signis comparentibus acidum Halleri exhibendum venit). Specificum tamen dici non meretur aloë, effectu enim saepe caret et phlogosi vel levissima praesente nocet, ea tamen absente egregium constituit remedium, et frequenter in pilulis cum rheo et extracto taraxaci praescribitur, ob affectionem spasticam nonnunquam assa foetida dosi parva iungitur illi. — Duplex promanat ab usu purgantium emolumentum, partim saburra evacuatur, partim vero irritando tubum intestinalem prosunt, quo spasmus in s. cholopoëtico antagonistica solvitur, et liber egressus bilis in duodenum conceditur, sicque retentio et absorptio morbosa tollitur.

Icterus a suppressis efflorescentiis cutaneis desiderat revocationem harum, quare balnea sulfurea tam artificialia, quam naturalia, inunctiones cum unguento Autenrithii, aut solutione tartari emetici, interne sulfur, antimonium, stipites dulcamarae conducunt. — Suppressus fluxus haemorrhoidalis, aut suppressa menstruatio suo modo revocetur. — Icterus febribus intermitentibus socius usu congruo corticis cinchonae praemissis praevio solventibus, aut evacuantibus sanatur. — Si causa fuerit refrigerium remedia transpirationem cutaneam promoventia exhibenda sunt. — Contra icterum ab animi affectibus prosunt potus Riveri, pulvis aërophorus, liquor anodynus min. Hoffmanni. — Contra

vermes anthelmintica exhibeantur. — Icterus a morsu serpentum antispasmodica exposcit.

Si causa morbi nulla erui possit, aut removeri nequeat, statum dynamico-organicum ipsius morbi opportunis remediis debellare studemus. Quare in casibus ubi status inflammatorius hepatis aut totius s. cholopoëtici praedominatur, methodus antiphlogistica individualitati et gradui inflammationis congrua conducit. Infantibus teneris applicentur regioni hepatis hirudines 3—4, adultis 6—16, cum congruis remediis internis. Symptomatibus nedum remittentibus indicatur calomela infantibus granum semis — 1 omni bihorio, adultis dosi maiori, si tamen character inflammatorius mitior observetur, mitiora etiam sua praestant.

Ubi character morbi spasmodicus praevallet, indicantur remedia sensibilitatem et irritabilitatem tam in s. cholopoëtico, quam reliquo organismo deprimentia, qualia sunt infusa florum chamomillae vel tiliae, herbae melissae, foliorum aurantiorum, spiritus nitri dulcis, liquor an. min. Hoffmanni. His effectum non praestantibus alia in usum trahenda sunt, uti narcotica, inter quae opium, pulvis Doveri, cicuta, hyosciamus, belladonna, subinde assa foetida in pilulis et clymate; praeparata ammoniacalia, liquor ammoniae aceticus vel succinatus, dein et castoreum, valeriana etc. Externa quoque hic magnam efficaciam exserunt, inunctio cum oleo hyosciami, ol. lini cum tinctura opii, linimento volatili, cataplasmata emollientia, balnea tepida, imo et cucurbitulae ventosae et vesicantia laudantur.

In ictero a polycholia proveniente talia exposcuntur remedia, quae nimis cohaerentem bilem solvunt, et hinc secretionem et iufluxum faciunt, huc: purgantia acidula, et potus acidiusculi, liquor kali aceticus, tartarus tartarizatus, tartarus depuratus, serum lactis acidum, pulpa tamarindorum. Ab aliis laudantur acida vegetabilia vel mineralia, imprimis vero acidum muriaticum. Stosz in hac specie laudat belladonnam.

Icterus reonatorum peculiarem therapiam non requirit, evacuato enim mconio spisso disparet. Eva-

cuationi huic primis vitae temporibus ipsum lac maternum favet, vel oxymel simplex, syr. mannatus, syr. cichorei c. rheo, infusum thei aquosum, magnesia, clysmata emollientia, balnea tepida furfurum, et spastica affectione praesente balnea ex herbis aromaticis.

Icterus gravidarum rarissime periculis stipatur, cum enim potissimum ab irritatione, quam uterus gravidus in s. cholopoeticum exserit, oritur, sponte evanescit ultimo graviditatis mense, dum uterus situm mutat, aut illico partu absoluto.

Propriam et peculiarem tractandi modum requirit **I. calculosus**. Duplex indicatio hic adimplenda venit, cholelithos nempe solvere et evacuare, et altera symptomata tempore insultus spasmodici lenire. — Quod primum attinet ars parum aut plane nihil perficit. Plura autem et varia commendantur, et adhibebantur, uti: aqua calcis vivae, carbonas kali et natri, sapo, fel tauri, g. ammoniacum, calomel, clysmata Kaempffii, quamplurimum tamen terebinthina a Boerhave jam laudata, maximam tamen laudem nacta per Durande, qui eam qua specificum in solvendis calculis biliosis commendat sequenti forma: aetheris vitrioli partes tres, olei destillati terebinthinae partes duae, ex quibus quotidie ter exhibeantur aegro guttae 10—20 cum saccharo, et superbibatur decoctum mucilaginosum, lac aut jusculum gelatinosum. Secundum observationes tamen P. Frank et Quarin effectum hunc non possidet, et tunc saltem cholelithos solvere valet, dum per ductum choledochum in duodenum expressi sunt; maxima igitur laus in antispasmodico effectu residere videtur, et non raro aether vitrioli similem effectum cum tinctura anodyna simplici praestitit; si autem terebinthina exhibenda foret, saltem phlegmaticis conduceret individuis. Magis autocrazia naturae, quam ars hic vires suas medicatrices ostendit, ingentis enim molis calculos evacuatos, et inde icterum sanatum fuisse, plura exstant exempla. — Cum igitur remedia lithontriptica vix noscantur, ars saltem id largiri videtur, ut calculorum genesi, et incremento praecaveatur, et cum saepe iufarctus abdominales causam praebeant, praeter

dieta congruam, motum corporis debitum e. s. leniter solventia conducunt; quare commendantur verno tempore succi recentes herbarum et radicum, aut extracta, acidulae alcalinae solventes, imprimis aqua thermarum Carolinarum, similem effectum et thermæ nostræ Budensæ in connubio cum sale thermarum Carolinarum præstant. — Therapia tempore insultus in eo consistit, ut symptomata molesta mitigentur. Non raro observatur produci inflammatio per irritationem calculorum, tunc antiphlogistica adhibenda sunt, hirudines regioni hypochondriacæ dextræ 10—30 applicandæ, non raro et venæsectio, interne medicamenta mucilaginosæ, clysmata emollientia. Frequenter tamen in individuis constitutionis nervosæ producuntur dolores spasmodici, quos removere conamur exhibendo emulsionem oleoso gummo-am cum opio, vel aquam laurocerasi, externe cataplasmata emollienti-narcotica, ol. hyosciami coctum, clysmata emollientia, et semicupia tepida.

Sæpe icterum optimæ etiæ therapie resistere et chronicum decursum nancisci observamus, causæ igitur investigandæ veniunt hunc statum producentes, quæ non raro observantur esse infarctus non tantum ad hepar restricti, sed latius per integrum etiam systema venæ portæ extensi. In causas hæc therapiam dirigendo solventia indicantur, exhibemus succos recenter expressos herbarum et radicis taraxaci, cerefolii, fumarie, cichorei, vel decocta radicis graminis, taraxaci etc. aut extracta eorundem. His sæpe iunguntur solventia salina: arcanum duplicatum, sal. mirabilis Glauberi, sal. amarus, tartarus tartarizatus, terra foliata tartari. Acidulae quoque conducunt, quæ sunt ex nostris: Füredienses, Szalatnyenses, Rankenses, Parádienses, aut in Bohemia Egeranae, Marienbadenses, sed vel maxime aquæ therm. Carolinarum, simul et balnea commendamus, sub quorum usu abdomen olen. blando, vel unguento emollienti vel sapone fricatur. Si infarctus ob statum torpidum his remediis non cedit, ad efficaciora recurrendum, qualia sunt: gummi ammoniacum, assa foetida, antimonialia, pulvis Plumeri, tar-

tarus emeticus,* sulfur aurat. antimonii aut praeparata hydrargyri, unguentum hydr. cinereum externe.

Sub cura icteri chronici non paucis in casibus duplicem statum observare licet, vel infarctibus prius memoratis sensibilitatem systematis nervosi adauctam iunctam esse, vel vero infarctus ipsos per statum irritatum systematis sangviferi sustentari videmus; quare sensibilitatem exaltatam deprimere, et irritabilitatem mitigare studemus. Priori indicationi satisfaciunt narcotica: cicuta, hyosciamus, belladonna, ipsum opium, saepius tamen ac dum hydroscyanicum. vel aqua laurocerasi; alteri vero acida vegetabilia rarius, frequentius mineralia, acida talia sunt: acidum vitrioli dilutum, liquor acidus Halleri, acidum muriaticum, aut nitricum interne pro nycthemero a guttis 20—100 ascendendo et in decocto emollienti exhibendo, vel vero externe pediluvium ex acidi muriatici drachmis sex et acidi nitrici uncia dimidia et aqua, ad disparitionem icteri continuandum. — Contra debilitatem organorum digestionis et chylificationis per usum solventium provenientes roborantia individuis accomodata prosunt, qualia sunt: cibus animalis, aromatica, potus spirituosi dosi parva, motus corporis. Ex pharmacis amara mitiora: carduus benedictus, centaurium minus, trifolium fibrinum, gentiana, saepe magis effectum ostendunt amaro-aromatica, liquores aetherei, cinchonae praeparata, ferrum et acidulae martiales Bartsenses, Lublovienses, ad Buzias, Vichnye vel Szliáts.

Devicto sic hoste, convalescentia continuatum usum remediorum, quae individualitati aegri aliisque circumstantiis favebant, et congruam dietam desiderat, ope quorum etiam maxime succedet recidivis, quibus morbus semel perpeasus obnoxius esse solet, praecavere.

T h e s e s.

1. **M**edicus in omni morbo et corporis et animi curam habeat.
 2. Instinctus aegri non est vilipendendus.
 3. Urina pulsu certius constituit signum.
 4. Optimum remedium in morbis chronicis est diaeta congrua.
 5. Balnea frigida moderno tempore indiscriminatum fere adhibita permultis nocent.
 6. Peculiaris in viro character praevalens est vita animalis, in feminis vegetatio.
 7. Hepatis certa est ad temperamentum relatio.
 8. Qui arcanis mercatur medicus, et reipublicae et populo nocet.
 9. Morbi infantum plurimi e tubo intestinali originem trahunt.
 10. Non dantur morbi vere intermittentes.
-

T h e s i s

1. Medicina in omni aetate et corpore et animi
curam habet.
2. Intellectus aegri non est attendendus.
3. Urina pura et sine consistunt signum
est sanationis in morbis chronicis et
diabeta constricta.
4. In aetate senectute morbo tempore indolentibus
sunt praecipua permittenda morbo.
5. Theriaca in toto character praesens est
opuntia, in febribus vegetalis.
6. Theriaca est ad sanationem relativa.
7. Quae aetate morborum aetate et sanatione
et sanatione morbi.
8. Morbi in aetate aetate et sanatione
et sanatione morbi.
9. Morbi in aetate aetate et sanatione
et sanatione morbi.